

Arus ex quatuor elephantis in numo est, cuius latus alterū inscriptionem habet ad reliquos honores tertij consulatus: nam qui sua virtute ad Imperatorij fastigij culmen euectus erat, re in Oriente bene gesta, paribus cum Augusto honoribus honestandus fuit: ita Elephas iunctus, prouinciam patriam subiugatam hieroglyphicè significabit. Est & Philippi Imperatoris numus, in quo elephans tus gradiens sub magistro cum inscriptione, **AETERNITAS AVG.**

Philippi Imperatoris numus.

MVNIFICENTIA.

Est autem inter virtutes regias illa, quæ solet ante alias populorum beneuolentiã conciliare, munificentia: hac ostentanda magni principes elephantum plurimū vñ sunt. Hinc videas in Antonini Pij numo elephantem promuscide in semicirculū sursum versus lunata: inscriptio est, **MVNIFICENTIA AVG.** Atq; itidē in numo L. Septimij Seueri Pertinacis Aug. Imp. **V I I I.** elephas est promuscide in eundem modum curuata, cum eadem ipsa inscriptione, **MVNIFICENTIA AVG. S. C.** Nanq; hoc eos spectaculis exhibitos ostendit, atq; hinc eorū Imperatorū intelligenda munificentia, qui eos modò in certamē cōmisere, modò in saltationem, modò vt funes scanderēt & inambulerent, edidere. Quod si ad eorum quoq; animalium liberalitatē trahere uoueris, sanè munificos hos & liberales inuenias, siue ij curatoribus suis, siue etiam puellis, quarum amore se captos ostendēre, munera elargiri soliti sunt: quandam enim admirandam eorum in homines beneuolentiam, gratumq; in educatores animū scribit Ælianus, exemplo illius qui pro domino multū diuq; pugnavit, eumq; sagittis interfectum, promuscide sublatum ad præsepe suum asportauit.

Antonini Pij numus, et Seueri Pertinacis.

TEMPERANTIA.


Sed quid illud, quod etiam in temperantiã significatū, aut eius qui seruare modum in rebus norit, per elephantū qui cibum caperet exprimebant? Afuerus enim certæ pabuli mensuræ, si quid largius opulentiūq; apposueris, tantū assumit quantū quotidiana cōsuetudine pascere sit institutus. In Syria cum domi quidam educaretur, magister accepta hordei mensura dimidiū singulis diebus interuertebat: cumq; aliquando præsentē domino totam illi mensuram apposuisset, simulatq; animaduertit elephans duplicatam esse pabuli portionem, hordeū id in partes duas promuscide disgregauit, tam æquas, ac si vel modo quis demensus esset, vnãque magistro portione derelicta, cōsuetam sibi partem absumpsit: cuius facti meminit Plutarchus.

AEQVITAS.

Neq; quidem exemplum aliud prætereundum, ex quo æquitatis etiã idem hoc animal seruantissimū esse fateamur. Quidã mensuræ quæ magistro impendebatur, & lapillos, & puluerem immiscebat, quod de pondere aliquid fraudaret: animaduertit elephas apud illum carnes elixari, accedensque cinerē è foco in ollam paria facturus iniecit.

DECLINATOR INSANITÆ.

Est illud verè regium, insanos & dementes homines euitare. Quapropter Ægyptij hominem tali prudentia præditū, vt nihil sibi cum stultis & fatuis esse vellet, ostendere cum studerent, elephantum & caprum hie-



Handwritten mark or signature.